



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt criminator crimen criminati literis comprehensum, ante accusationem  
episcopo suo representet. cxcvi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



*Vt criminator crimen criminati, literis comprehensum, ante accusationem episcopo suo representet. Cap. CXCVI.*

*Ex cōcil.  
Aureli.  
cap. 10.*

**I**LLVD præterea omni ecclesiastico ordini omnimodò obseruandū est, vt nullatenus aliquis præsumat in cōcilio vel synodali cōuentu aliquem confratrum accusatione persequi, nisi prius ipsum accusationis crimen, & litigationis causas, literis per ordinem comprehensum manu propria subscripserit, & episcopo, vel sacræ synodo porrexerit, & iustè & canonicè litigantium controuersia finiantur. Non enim licet, vt autoritas Romana testatur, nisi inscriptione celebrata reum quenquam fieri, nec ad iudicium exhiberi, quia sicut cōuinctum de crimine pœna constringit, ita accusatorem, si non probauerit quod obiecit.

*Vt nullus ex ordinatis se proclamet in synodo nisi scriptis. Cap. CXCVII.*

*Ex cōcil.  
ad sanct.  
Medard.  
cap. 9.*

**H**incmarus archiepiscopus Remorum suis accusatoribus dixit: Quæ est petitio vestra fratres? Misericordiam, inquiūt, petimus nobis à vestra paternitate impendere de ministratione ordinum ecclesiasticorum, ad quos à domino Ebone quondam prouecti, à vestra autoritate suspecti sumus. Hincmarus episcopus dixit: Habetis libellum reclamationis aut postulationis, sicut ecclesiastica se habet reuocatio? Illi autem responderunt, se præ manibus nullum habere libellum. Hincmarus episcopus dixit: Legum ecclesiasticarum autoritas talis est, vt in causis gestorum semper scripturam requirat: adeo vt qui ad sacrum fontem accedere solum dare nomen præcipiatur: qui ad summū sacerdotium prouehitur, decreto manibus omnium roborato eligatur. Ordinatus autem à suis ordinatibus literas accipere iubetur. Qui etiam ab ecclesiastica societate quolibet excoisus discinditur, libellari scriptione aut recipitur aut deicitur. Sed qui accusatur, vel excommunicatur, seu reconciliatur, per scripturam accusari, vel reconciliari iubetur. Et sicut in cæteris huiusmodi intantum scriptura deposcitur, vt, sicut beatus Gregorius in Cōmonitorio ad Ioannem defensorem ex Romanis legibus sumens scribit, Sententia quæ sine scriptura profertur, nec nomen sententiæ habere mereatur. Quapropter fratres & filij oportet vos secundum Ecclesiasticam autoritatem, reclamationem vestram libellari